



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

30. Dies Octob. Sustinete virgam corripientem, ne sentiatis malleum
conterentem. S. Bernardus in psal. qui habitat. Sermon. 10.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Octob.

Tessera.

863

omni pretiosior pretio. Idipsum testatur D. Scholastica. *Dies unus bene impensus obsequio Dei, plus valet, quam millio annorum ad obtinendum unversum mundum.* Arrige aures loquenti Divino mercatori.

Tu modo da calum, reddam pro munere calum.

30. DIES OCTOB.

Sustinete virgam corripientem, ne sentiat mal-
leum conterentem. *S. Bernardus in psal. qui habi-
tat, Sermon. 10.*

Peccati
comes,
Pœna.

PRioris diei tessera te docuit me-
thodum feliciter nundinandi. Sa-
pientis est malle pati in hac vita:
levia, quam post illam gravia:
melius est enim corripit, quam conteri. Divina Ju-
sticia, ut reddat unicuique juxta sua merita, sicut
habet geminas manus, ita & gemina, quibus casti-
gat instrumenta, altera est dextera, altera sinistra
manus: illa est Patris, hæc Judicis, illâ tenet vir-
gam, hæc malleum; dextera corripit, sinistra conte-
rit: utitur virga contra amicos, ut corripiat ad mo-
mentum: utitur malleo contra inimicos, ut conte-
rat in æternum. Vide quid eligas; ne postea te pœ-
niteat elegisse. Ut semel castigeris, non est liberta-
tis, est necessitatis. Peccasse te, tam est certum, ut
non possis negare te peccatorem, quin novum com-
mittas peccatum. Ubi præcessit culpa, necesse est
sequatur pœna. Culpa enim nunquam est solitaria,
pœna illam non tantum sequitur ut pedissequa à
tergore, sed adhæret ejus comes à latere. Quid er-
gò miraris te corripit, ubi commisisti corripienda?
Nonne tu unus ex illis es, de quibus conqueritur,
qui

qui te quærit, Deus? (a) *Verterunt ad me tergum, & non faciem?* Qui cum peccares, ad Deum vertisti dorsum, nunc, quia peccasti, ut castigeris, inclina dorsum. Quidquid hinc pateris, quia est leve tribulationis, non est nisi ictus virgæ, quod postea patiens, sunt conterentis ictus mallei: si formides diros ictus, declina pravorum actus: quia respondent actibus ictus. Ut effugias virgam, fuge culpam.

II. Si jaceres in incude sub ictu mallei, quid males, esse vitrum, an aurum? Vitrum malleo conteritur, aurum perficitur. Quivis in hac vita est velut in incude, debet tundi, hoc est, plecti. Divina Juxta ut plectat, tenet malleum, si sis vitrum, hoc est, improbus, dissilies, frangeris, peribis: si aurum, hoc est, justus, solidaberis, perficieris. Est hic ipsissimus sermo D. Augustini: (b) *Malleus universa terra, diabolus est: de ipso malleo, in manu Domini posito, id est, in potestate Dei, tunduntur ductiles tubæ, id est, anima sancta, ut resonent Dei laudes. De isto malleo, & justus tunditur, & peccator, ille, ut probetur, ille, ut puniatur. At certe, ut justus augeatur in bonis, & peccator corrigatur à malis. Sub isto enim malleo, in manu, id est, in potestate Domini constituto, tunduntur non solum humiles, sed & superbi, sed humiles producantur ut aurum, superbi comminuntur, ut vitrum. Una eademque visio, bonos producit ad gloriam, malos, redigit in favillam. Ne ergo ictibus illius mallei frangaris, non sis fragilis, mollis, labilis, instar vitri; sed esto firmus, solidus, validus, instar auri. Hinc tetransferas, (c) de umbra ad Solem, de Tunica ad Loricam: verba sunt*

(a) Jerem. 2. 27. (b) Serm. 222. de Temp. (c) Ad Mart. c. 3.

Tertulliani. Assuesce dura agere, ut possis dura pati. Non sis mollis ut pilus cuniculi, vel mædulla anseris. Memineris illius: Quod nocet, docet. Quod pungit, ungit; sic Deus justos, dum percutit, perficit, dum flagellat, coronat.

III. Tu interim memineris illius: sicut non est tutum in illum scribere, qui potest proscribere: sic multò est inutiùs, illum offendere, qui potest percutere. Ut tibi delinquendi est libertas, sic & Deo percutiendi est potestas. Ne delinquas, linguas necesse est delinquendi ansas. Tu deinde, cum alios corripis, cave, sis malleus. Non sis ferreus Censor, ut ad muscam occidendam ensem quæras, aut securim, & malleum, ad ovum frangendum, aut ad nucem enucleandam, æream machinam. Nec ad minimam alterius negligentiam ita verbis ferveas, ut ad parricidium, aut quodvis in expiabile scelus: nec urticam tot securibus adeptas, quot annosam quercum: nec in exiguum murem castra moveas, ut in cete grandia, & monstra immanissima. Sis Censor, sed non tortor. Puni peccantem, sed tanquam peccaturus, & idèò puniendus. Volo corripias, memor illius, quod scribit Petrus Damianus: (a) *Qui non corripit puerum ova furantem, magnum postea patietur latronem, equorum stabula perfringentem.* Volo, inquam, corripias, sed non conteras. Quod si & tu vicissim ab aliis vel corriperis, vel impeteris, innocens; ne vertas tergum, sed oppone vultum. Scis, quantum tibi nocebunt? (b) *Erunt tibi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fœnum. Ignis enim ad aurum accedens, sordet tollit; accedens ad fœnum, in cineres vertit.* Sic Au-

Pars III.

Iii

gusti-

(a) Ep. 20. (b) In ps. 128.

gustinus. Cogita satius esse, ut loquar cum eodem Augustino, (a) *deglubri, quam deglubi, & quam excoriari.* Hoc modo si te geras, perinde vellet te aliquem contra te ut prosternat, dejicere, leonem subulâ, aprum aristâ, taurum digito excipere. Ad illa potius ridebis, quam timebis.

Tristia ridebis, si spernas, nulla timebis,

31. DIES OCTOB.

Non tam benignum, ac liberale natura nobis tempus dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere. *Quintus Declam. 4.*

Tempo- I.
ris vola-
bilitas.

Quid vis perdere tempus, ubi non lo potes Deo satisfacere tempore? Cur unius diei, aut horæ intervallo audes suspendere obligationem tuam? si in horâ Deus suspendisset beneficentiam suam, in mundo non esses, imò si suspensisset indulgentiam suam, in Inferno esses. Aeterna stipendia tibi promissa sunt, non decet interruptis servitiis mereri: si vis bene vivere, nunquam intermittas bonam vitam. Oportet spiritus remissè, singulis diebus te armare ad prælium, & expergiscere alacriter, quasi ad pugnam, addito quasi lituo, & signo bellico. (b) *Dilige Deum tuum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Hoc præceptum tibi manè promulga, & persuade tibi hunc diem vitæ, non tantum esse diem malitiæ, sed pugnae. Quomodò surgunt milites eo die, quo publicatum est præceptum conflicendi cum hoste? Miles eo die quo initurus est prælium non est inertis: Tu quoque

(a) *In Psal. 128,* (b) *Mar. 22.*